

Homerum sibi petiit exhibere. Quum vero ludimagister se nihil Homeri habere respondisset: colaphum ei durum infixit, et abiit, *imperitum*, dicens, *et qui tales redderet pueros.*

Quum Zoilus, qui Homeromastix, id est, Homeri flagellum, est vocatus, Alexandriam venisset, suaque scripta, contra Iliadem et Odysseam comparata, Ptolemaeo Philadelpho recitasset: animadvertens rex, poëtarum parentem, philologiaeque omnis ducem absentem vexari, et cujus ab cunctis gentibus scripta susciperentur, ab eo vituperari, indignatus, nullum ei dedit responsum. Zoilus autem, quum diutius in regno fuisset inopia pressus, submitit ad regem, postulans, ut aliquid sibi tribueretur. Rex vero respondisse dicitur: *Homerum, qui ante annos mille decessisset, aëvo perpetuo multa millia hominum pascere: idem debere, qui meliore ingenio se profiteretur, non modo se unum, sed etiam plures, alere posse.*

4. Sulla, quum Hispanos et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset, quem nos in concione vidimus: quum ei libellum malus poëta de populo subjecisset, quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, jubere ei praemium tribui, sub ea conditione, *ne quid postea scriberet.* Qui sedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen praemio dignam, hujus ingenium, et virtutem in scribendo, et copiam non expetisset? — Julius Caesar, liberalium artium doctores, et medicinam Romae professos, quo libentius et ipsi urbem incolerent, et caeteri appeterent, civitate donavit. — Optime ille quidem: solet quippe eo labor impendi, unde emolumentum atque honos speratur. At sublatis studiorum praemiis, etiam studia pereunt.